C cus eius hæmorrhoidas referat, uiolenterq; ad receſſum prouocat in floccis appoſitus. Sic etiam medicamentis tubercula, ſtrumas, aliasq; durities diſcutientibus commiſcetur, ac ſuffuſis cum melle illitus competit: ad hæc quoq; per nares expurgat. Adeò eſt uehemens eius facultas, ut abdomine illito uentrem ſubducat, & fœtum interimat. Nam & alioqui ualidum interimendo conceptui medicamen eſt, in peſſo addita. Tota uerò radix ſucco imbecillior eſt, quanquam & ipſa uehemens ſit. Nam & menſes ſiue epota, ſiue appoſita euocat, & regio morbo prodeſt, non modo ipſum uiſcus expurgans, ſed etiam quæ in toto corpore bilis fuerit, eam per ſudorem excernens. Proinde à potione omnibus modis ſudoris adiuuanda prouocatio eſt. Modus eius bibendi eſt drachmarum trium, ſiue cum melicrato, ſiue cum paſſo. Cutem extergit cum in alijs, tum quod alopecias, ephelidas, omniaq; exanthemata curet. Lienem quoque induratum iuuat illita, tum recens, tum arida. Sunt qui radicem ſiccam aſthmaticis exhibeant.

EX PLINIO.

Cyclamini radix contra ſerpentes omnes bibitur. In omnibus ſerenda domibus, ſi uerum eſt, ubi ſata ſit, nihil nocere mala medicamenta: amuletũ uocant: narrantq; ea ebrietatem repræſentari, addita in uinum radice. Et ſiccata Scillæ modo conciſa reponitur, decoquiturq; eadem ad craſsitudinẽ mellis. Suum tamẽ uenenum ineſt ei, traduntq; ſi prægnans radicem eam tranſgrediatur, abortum fieri. Radix denique tribus drachmis bibitur in loco calido, & perfrictionibus tuto; ſudores enim felleos mouet.

DE CYPERO. CAP. CLXXI.

NOMINA.

D Κύπερος ἢ κύπειρος Græcis, Cyperus & Cypirus Latinis dicitur. Quum enim Græci quandoq; diphthongo, ut Theophraſtus, quandoq; uocali breui, quemadmodũ Dioſcorides, Galenus & alij quidam, penultimam ſcribant, fit ut aliqui e, alij uerò i retineant. Poëtæ qui e ex diphthongo retinuerunt, meritò penultimam in Cypero producunt. Officinæ latinũ nomen retinuerunt. Germanis wilder Galgan uocatur.

FORMA.

Cyperus porri folia habet, longiora tamen, graciliora & ſolidiora. Caulem cubitalem, & nõnunquam altiorẽ, anguloſum, ſchœno ſimilem, in cuius cacumine minutorum foliorum ac ſeminis productio eſt. Radices illi ſubſunt, quarum uſus eſt, oblongæ, oliuarum modo ſibi inuicem cõmiſſæ, aut rotundæ, nigræ, ſuauiter olentes, & amaræ: uel, ut Theophraſtus deliniauit, inæquales, partim craſſæ, carnoſæq;, partim graciles atq; ſurculoſæ. Ex qua deſcriptione omnibus eſſe perſpicuum arbitramur, ſtirpem cuius nunc picturã damus eſſe Cyperum. Siquidem folia fert porracea, longiora exilioraq;: caulem altitudine cubiti, aut altiorem, anguloſum, in cuius cacumine minuta folia prodeunt, inter quæ ſemen reſidet. Radices huic ſunt oblongæ, oliuarum modo inter ſe connexæ ac inuicem implexæ, aut rotundæ, nigræ, iucundè ſpirantes, guſtu amaræ. Præterea magna inæqualitate notantur, quod pars quædam craſſa carnoſaq;, quædam gracilis atque lignoſa ſit. Nemo enim non uidet radicis tenuitatẽ ſurculoſam protinus in oliuaria tubercula uerticillari. Naſcitur quoque è latere huius radicula, quod Theophraſtus etiam notauit, unde caulículus erumpit alius, ut pictura affabrè monſtrat.

LOCVS.

Naſcitur in locis cultis & paluſtribus. In Germania certè non niſi cultus in hortis prouenit.

TEMPVS.

Minuta folia in cacumine cum ſemine Iunio & Iulio menſe producit.

TEMPE-